

LIBRERIA ANTIQUARIA  
MEDIOLANUM  
Via Del Carmine, 1  
20121 Milano  
Tel. 02 86402616

CD 2065 11773

BESCHAFFT AUS MITTELN DER



*Carl Friedrich von Siemens  
Stiftung*

Universität München  
Bibliothek Theologie-Philosophie  
Geschwister-Schubert-Platz 1  
80539 München

0100.08.3.1

ANTONII  
MONTECATINII  
FERRARIENSIS

PRÆLECTIO IN LIBROS  
de moribus ad Nicomachum,

Quam ipse publicè habuit in gymnasio Ferrariensi  
Anno Domini, M D L X,  
VIII. id. Nou.



V E N E T I I S,  
Excudebat Dominicus de Nicolinis.  
M D L X I.

ANTONIUS MONTECATINVS  
IOANNI BAPTISTAE

MONTECATINVS.



Relectionem illam de summo ho-  
minis bono, quam sex ab hinc  
mensibus aliorum precibus cedēs,  
petere non desistis, ad te mitto:  
amplius enim tergiuersari nec  
queo, nec volo. tumultuariam,  
atque præcipitem optime nosti:  
utpote qui dies illos nobiscū fue-  
ris. scis præterea grandiores hu-

iusmodi res eleganti orationis cultu, suauiq; verborum  
lenocinio, decorari haud quaquam facile posse; quoniã  
Deus hanc voluit esse earum naturam; ut simplices, &  
nudæ essent luculentiores: quia satis ornatae per se sunt,  
ideo ornamentis extrinsecus additis fucatae corrumpun-  
tur. æqui igitur, boniq; facias, ac memineris, quod ter-  
tiū & vigesimum natus annum, nec ingenio valens, nec  
doctrina, domesticis insuper negotiis, diuturnoq; pro-  
priae genitricis morbo defatigatus; de quaestione per dif-  
ficili, atque per obscura, sermonē habuerim. Vale, Ferra-  
riæ VII. cal. Iun. Anno Domini. M. D. L. X. I.

satis

ferre ex  
tempore.

Excusabat Dominus de Nicolais  
M. D. L. X. I.



VÆCVNQVE ab optimo rerum  
opifice procreata sunt, amplissimi patres,  
adolescentes præstantissimi, ea & simul  
omnia, et per se singula, bonum quoddam,  
hoc est propriae naturæ perfectionem spon-  
te sua expetere videntur: ab artifice e-  
nim bono, bona ipsa effecta; bono etiam  
conseruantur, & constant. diuersa tamen

bonorum ratio est: ac unicuique id optimum; quod magis illi ipsi  
accommodatum, vitæ, fertilitas; sapor, vinum; velocitas, cer-  
uum; iumenta, robur; terram, crassitudo; ignem vero; tenui-  
tas; meliora reddunt, hinc rudis illa etiam, indigestaq; moles:  
quanquam nihil, nisi pondus iners: maximo tamen formæ adipi-  
scendæ tenetur desiderio, ipsamque, non secus ac scœmina marem,  
& turpe pulchrum, exoptat. Simplicia corpora, quæ alio nomi-  
ne à plerisque vocantur elementa, quò maiori à suis sedibus distant  
loci intercapedine, eò minori temporis spatio ad ipsas, impellente  
natura, mouentur, ac redeunt. quis illam in primis mixtis cohibi-  
tionem, & compressionem vndique circumfusam, quam Græci  
αὐτῆς ἐπιστάσις dicunt, non miretur? formam omni cognitione ca-  
rentem (liceat philosophicas res tractanti philosophicis uti ver-  
bis) hac tantummodo, vel exigua primi cognoscentis vmbra præ-  
ditam, ope niti admirabili, ne è proprio bono exturbetur, res, me  
Hercule, admiratione digna, at non magis quàm ea sæpe in plantis  
spectata (ut ita dicam) prudentia, dum noxia odio habent, decli-  
nantque: vtilia autem & amplectantur, & amant. quis vitæ  
docuit, quotiescunque brassicam sibi proximam senserit: in opposi-  
tam partem sese vertere: & quæ omnia palmitibus suis, ac cla-  
uiculis, complecti soleat, tunc temporis veluti hostem refugientem,  
in vnius tantummodo loci angustias luxuriantia contrahere sar-  
menta? quis eidem contra invidit sensum, ut vltimo coniuncta ma-  
rito, & pulchrior ipsa adolescat, & laudabiliores etiam ferat  
fructus? quid dicendum de iuglandis, & quercus odio? de allij  
item & lilij amore? Nunc prætereo conuiuens tot terrarum, me-  
tallorum (quæ à nonnullis terræ viscera appellantur) lapidum,  
aquarum,

aquarum, ventorum: tot item herbarum, fruticum, arborum,  
ἀντιπάθειαι, & συμπαθειαι (his enim vocibus locupletes Græci  
amicitiæ, & inimiciæ naturales designant affectus) siquidem  
ad ampliora mea festinans oratio, dum temporis reformidat an-  
gustiam anguste prosequitur omnia: & unusquisq; hæc, quæ di-  
cta sunt, apud Athenæum, Plinium, Cælium, eiusdemq; generis  
alios, classicios scriptores, Platonicos præsertim, veterisq; philo-  
sophiæ alumnos, legere per se ipse poterit. iam sensibus præditorum  
animalium, dum propriam naturam, & bonum, hoc est sensum, cõ-  
seruare student, ac perficere, mirabiles actiones nemo est qui ne-  
sciat: ideo notissima relinquentes, ea scilicet ex quibus medicæ  
artis effluxere primordia; utque agnus lupum, & si nondum an-  
tea à se inspectum, videns illico horreat; leo vel bouis voce late-  
tur: vobis duntaxat in memoriam reducemus quæ præ vnus sen-  
sus, hoc est eorum boni, curandi studio, cætera omnia præciosissi-  
ma quamuis, quamuis exitiosa, nihili faciant, notus de gallo apolo-  
gus; qui granum in sterquilinio querens gemmam reperit; reper-  
tam contempsit: vnde vetus illud Heracliti dictum, ἀνοὺς οὐραματὶ ἀν' ἐλέσθαι μάλ-  
λον ἢ χρυσόν, asinos stramenta magis quam aurum esse electuros:  
asinus quoque ille, apud Homerum, segetes ingressus, non ante a pue-  
ris eius tergum vndiq; cædentibus ex aruo eijcitur, quam pabulo  
oppletus, sensui, & naturæ satisfecerit. pugnantes inter se profœ-  
minis mares ubique conspiciuntur: ac libidine ardentem eosdem  
in mutua vulnera, suamq; ipsorum perniciem, dentes, cornua, vn-  
gulas exacuere omnes adeo perspicue vident, vt aliorum minime  
indigeant testimonio. porro autem cælestia illa corpora, diuinasq;  
mentes, non solum Platonici, qui à plerisq; in huiusmodi rebus ni-  
mij quodammodo iudicantur, sed & Aristoteles nunquam extra  
sensum, aut communia dogmata, aliquid proferre ausus, perpetua  
circunducere, & circunduci conuersione, non modo opinatur: ve-  
rum etiam causam hanc esse asserit, cur globi illi æterni diuerso or-  
dine volui conspiciantur: vt non immerito iste boni appetitus, cui  
etis rebus à natura tributus, vinculum illud, quo vniversus orbis  
nectitur, videri possit: dum singulis priuatum bonum exoptanti-  
bus

bus, communis boni essentia, hoc est mundi ipsius conseruatio, pro-  
uenit. quamobrem ad hunc naturalem, vt ita vocem, amorem re-  
spicientes antiquissimi poetarum, qui primi fuere philosophi, Iouis  
omnia plena haud imperite enunciauerunt: idcirco Deum optimum  
maximum mundi animam asseuerantes, quia veluti corporis phy-  
sici organici entelechia illa causa dicitur cunctarum operationum,  
quæ in paruo eo fiunt mundo: sic quoque appetitio ista, diuinum  
quoddam, & Dei particeps cum sit, eorum omnium, quæ in hoc  
maximo animali progignuntur, origo prima & est, & videtur.  
Cum igitur vnus cuiusque rei bonum quoddam proprium appareat,  
quo ea ipsa expleatur, quid de homine erit dicendum, cuius causa  
omnia hæc à Deo, & natura elaborata, eundemq; esse omnium fi-  
nem grauissimorum quidem virorum, atque elegantissimorum cõ-  
cordia magis confirmat? an ille omnium perfectissimus a sum-  
mo factus opifice, vnus etiam ex omnibus propria perfectione ca-  
rebit: nullumq; habebit propositum finem, ad quem suas dirigens  
actiones, felix demum ipse fieri possit; propriamq; naturam me-  
liorem facere, ac laudabiliorem? absit per Deos immortales, &  
procul absit, vt cunctorum animalium optimum, vel à ter maxi-  
mo illo Mercurio (ne quid aliud dicam) magnæ naturæ miracu-  
lum appellatum, cæteris deterius affirmemus: quod nam enim vel  
vmbatile in eo bonum perspicere poterit; si ipsius boni cognitionem,  
& desiderium, & deniq; aut conseruationem, aut adeptionem  
(qua re nil maius, nil præstantius, nil tandem diuinius, aut effici  
potest, aut excogitari) auferamus: nihil est in rerum natura hoc  
ipso animali excellens magis, maximam tamen excellentiam ei-  
dem negabimus, alijs concedemus? valeant prorsus, ista peruersè  
ne dicam impudenter asseuerantes, valeant inquam; nosq; fiden-  
ter affirmemus aliquem hominem finem, aliquod & bonum obti-  
nere, quo eius natura fulgeat, atq; absoluat. quod nã igitur hoc  
erit bonum; quisq; hic dicendus finis? clarissimè sanè istud eluce-  
ret; si ea quæ superiori parte à nobis dicta sunt, rectè inspiceren-  
tur: nam cum fuerit declaratum, id cuiuslibet rei bonum dici:  
quod ipsius perficit naturam, ac conseruat: homoq; sola ratione  
homo, & sit, & dicatur; aperte patebit, bonum hominis illud ap-  
pellari

pellari opus esse, cuius aduentu eius mēs peculiare acquirat præstatiā: veruntamen ut hæc etiā planiora reddatur, percurramus breuiter ea, quæ Aristoteles præcipue (cum in præsentia Peripateticos potissimum profiteamur) hominis felicitatem inquirens scripsit: fortasse & aliorum dicta, ad eiusdem sententiæ confirmationem, in calce orationis allaturi. Si hominis opus sumamus (inquit diuinus ille vir) quid sit eius bonum forsitan explicabitur: in actione enim, opereque cuiusque rei bonum consistit, quia ut materiæ pati, ita quoque formæ agere proprium est: opus autem reperiemus; cum naturam suam inuenerimus. profecto humanæ animæ siue partes, siue facultates appellentur, plures sunt, altera rationis expertis, rationem habens altera dicitur: itemque utraque harum in duas diuiditur; cum ratione carentis, hæc alendi generandique vis, communi animæ similis, vocetur: illa vero rationem quidem ipsa non habens, quæ tamen rationis capax, ei obtemperando, fieri possit, dicatur; similiter quoque & ratio geminas obtineat facultates, ratiocinandi scilicet res, quæ alias aliter eueniunt, hoc est actiones humanas, considerantem: & sciendi, qua necessarias contemplamur, infimam igitur illam animæ particulam, quæ propter eius ignobilitatem natura dicitur a Platonicis, non esse hominis peculiarem, patet ex eo, quia cum plantis illi communis est: ideoque poetæ quosdam gula, ac libidini deditos in plantas mutatos fuisse confinxerunt, sentiendi autem, appetendique vis, & potestas, ex ea sanè parte, qua eadem cum ratione effici potest, non omnino spernenda videtur: quia tamen brutorum animalium propria, & legitima perfectio: idcirco ab ea quam inuestigamus, penitus diuersa erit: unde non solum poetæ, sed Aristoteles etiam, eos, qui nimium sensibus ac genio indulgent, & deseruiunt; cuticulamque (ut dici solet) curant, inferas degenerare scribunt: nec aliud quid metempsychosis illa, siue animarum in varia corpora migratio (quam Pythagoras & ceteri, Herodoto teste, ab Aegyptijs cunctorum hominum antiquissimis desumpsere) secundum sententiam omnium indicabat, sola itaque ratio id erit quod queritur. huius verò cum duæ iam apparuerint partes, duplex quoque ponenda perfectio;

atque

4  
atque ipsarum altera, quæ ratiocinatricis potestatis optimus habitus est, agens intelligentia, siue prudentia appelletur; altera autem sciendi vim exornans, sapientia, aut mens speculatrix dicatur, quocirca non una, sed duæ erunt hominis felicitates; altera tamen melior altera, & præstantior, operatio secundum prudentiam beatum reddet eum, quatenus ipse solus ciuile anima est, ac sociale: si quidem prudentia homo indiget, sensuum, affectuumque moderatrice, ut singulas rectè exequatur actiones: nec vel lætari, vel dolere, ex quibus ceteri omnes prodeunt affectus, aut ob quæ debet, aut cuius gratia debet, aut quemadmodum debet, aut quantum debet, aut quando debet, poterit, nisi prudentia veluti clauo, hanc consultricem animam in actionum fluctibus dirigat, atque gubernet: quapropter magis utique accommodatè ad Aristotelis gustum, verba magis, quam animi sententias ubique perpendentis, Socrates cunctas morum virtutes prudentias vocasset, quàm scientias easdem appellans, fecerit. altera est secundum sapientiam operatio, quam & maximè, & propriè esse hominis beatitatem probat Aristoteles, quia melioris eius partis perfectio sit, mentis scilicet, hominis enim præstantissima pars est mens; immo ipse propriè nihil aliud, quàm mens dici debet, sapientiam autem tam in morali, quàm in prima philosophia definit philosophus: quod sit diuinarum rerum scientia, ac Dei optimi maximi cognitio, priorem felicitatem ciuilem Peripatetici appellant, secundam contemplatiuam, nec contemplatiuæ beatitudinis nomen audientes, eas, quæ à Platonicis purgatoriarum virtutes dicuntur, intelligere debemus, ut sentit Eustratius, quinimo potius affirmandum est, operationem secundum sapientiam idem valere apud Aristotelem, quod apud Plotinum & purgati animi, & exemplares virtutes, quatuor recenset D. Plotinus virtutum genera: ciuile, purgatorium, purgati animi, exemplare. harum virtutum ciuile eadem est cum Aristotelis ciuile: purgatoria autem appellat Plotinus, affectus animi extirpantem penitus, atque euellentem, quam Zeno, & Chrysippus viam ad suam illam sapientiam dicerent: purgati animi virtus ea est, quæ animali nostro conculcato, omnia pacata intelligentiæ reddens

dens tranquillitatem illam animi, à Stoicis aded celebratâ, parit,  
qua parta diuinam contemplari intelligentiam demum nobis con-  
ceditur: exemplarem postremò virtutem communiter secundum  
ipsum definire possumus, eam esse animæ ad intelligentiam agendo  
directionem: quod nihil aliud quàm Deum amare, & colere, eiq;  
nubere theologi nostri affirmarent. in his vltimis duabus, exem-  
plari scilicet, et purgati animi virtute consistere contemplatiuam  
Aristotelis foelicitatem, nò solum confirmat Auerrois auctori-  
tas, qui in libello de beatitudine animæ istud idem, sub diuerso ta-  
men verborum inuolucro asserit, verum etiam ratione probatur  
apertissima. etenim si purgati animi virtus cunctarum corporis  
sordium pacatam denotat eluionem, simulq; contemplationem re-  
rum diuinarum, aut saltem sibÿpsi coherentem; exemplaris autè  
est, animam Deum ardere, ipsiq; copulari: certè operatio secundû  
sapientiam ab Aristotele posita, minimè ab ipsis diuersa appare-  
bit; cum et eandem quoque Dei cognitionem pronunciauerit philo-  
sophus, & maxima fieri cum voluptate dixerit: nam quatenus  
Dei scientia est, eatenus purgati animi virtutem respicit, quate-  
nus autem iucunda exemplarem; nunquam enim voluptatem se-  
qui, nisi amor antecesserit, clarissimum esse arbitror: vbi verò a-  
mor, ibi necessaria est amantis & rei amata coniunctio, ac copu-  
latio: cum hoc illud sit verum vinculum, quo solo disincta peni-  
tus in vnum coire possunt. sed de affectu isto apud Deos (vt Pla-  
to ait) homines que mirando, aliàs fortasse, cum tempus dabitur:  
nunc nostrum prosequamur propositum. Ex ijs quæ usque adhuc  
dicta sunt, satis iam manifestum esse arbitror: tres potissimum da-  
ri gradus, per quos ad supremam beatitudinem efferamur: pri-  
mus est, appetitiones adeo præstantiori animæ parti obedientes ef-  
ficere, vt nihil homo aut agat, aut cogitet, quod non dicter ratio:  
secundus Deum contemplari: tertius eundem amare, & colere.  
nam & si Aristoteles nullam de purgatoria virtute mentionem  
fecisse videatur, cui primus inmittitur gradus, quis tamen obsecro  
unquam aliquem vidit cupiditatem multorum capitum bestiam,  
vt ait Plato, & iracundiam leoninam furiam, nutrientem, & sa-  
ginantem, vel exigua diuinarum rerum sollicitudine tangi? aut  
quis

5  
quis terrena libidini, & corporeis voluptatibus mancipatus,  
atque deseruiens, cælesti illo amore, intelligentiæque gaudio per-  
frui poterit: quo existimare debeamus virtutem eam minimè ef-  
se necessariam ad summum bonum tendentibus? presertim cum ip-  
sa sola animam veluti receptaculum ad foelicitatem suscipiendam  
præparet, atque exornet. Nec omnino opinari æquum est, quia  
philosophus quosdam reprehendat animæ perturbationes radici-  
tus extirpari oportere asserentes, si virtutem assequi volumus;  
idcirco illum, animam hominis ab omni labe ablu malum fore,  
putasse (qui enim id posset, cum foelicem contemplatiuum nihil  
de externis sollicitum, nisi quatenus ad vitam sustentandam ne-  
cessaria sunt ob naturæ nostræ imbecillitatem, passim dicat?) sed  
potius recordari debemus ipsum ea in parte, ubi hos refellit, de ci-  
uili loqui foelicitate; in qua non modo animi affectiones quo ad  
sublunaria ista euellere non necessarium est; quinimo istud potius  
absurdum, nihil autem huius meminit virtutis, quia de ciuili fo-  
licitate & quid esset, & quomodo item acquiri posset, declara-  
uit; de contemplatiua autem quid esset tantum: per quæ enim cõ-  
pararetur, docere sensû, et rationem hominis, quatenus sentit ho-  
mo, & ratiocinatur, transcendebat. addo etiam ipsam potestate  
quodammodo fuisse declaratam, quippe inferior contemplatiua,  
superior uerò ciuili cû sit, extremis positus ponitur etiam neces-  
sario ipsum medium. Sed fortasse plura de hoc, quàm par fuerit,  
pro temporis breuitate, rerumque dicendarum magnitudine; cû  
presertim ista in interpretatione verborum Aristotelis tractâ-  
da uiderentur; & ex aliorû opinionibus, rationibusque satis pa-  
teat, tribus hisce gradibus ad perfectam (vt Plotini sententia u-  
tar) diuinitatem peruenire hominè. Hi sunt gradus, ex quibus  
scalæ illæ constant, per quas summus Patriarcha Iacob Mesopo-  
tamiâ petens (hoc est terrâ inter Euphratè et Tigrim mediam,  
terram inquam solidam, quæ propriè sapientia est, ab altera par-  
te Tigrim habentem fortitudinem, s. animi, vt interpretatur D.  
Ambrosius, qua turpia corporis vitia superamus, ab altera ve-  
rò Euphratem, quod nomen lætitiâ significat & voluptatem)  
vidit, sopitis sensibus, intelligentiæque vigilante, angelos ascen-  
B dente

dentes & descendentes: quod amplius declarat D. Areopagi-  
ta a B. Paulo edoctus, dum primam angelorum hierarchiam, in  
qua Seraphim, Cherubim, & Throni resident, describens ait;  
Hebræos nomen throni sedem, cherub multitudinem, cognitio-  
nis, aut sapientie, effusionem, seraph ardorem interpretari; de-  
clarare autem has voces proprietates eorum: Thronos enim, i.  
sedes per eleuationem præcipuam longè ab omni indigna subie-  
ctione remoueri, esseq; continuo præparatos ad Deum in se susci-  
piendū: Cherubim uerò, hoc est multiscios uirtutē habere excel-  
lenter cognoscentē, et diuinorū mysteriorū spectatricē, impartitē  
temq; inferioribus largitam sibi sapientiam: at Seraphim arden-  
tes scilicet vi præditos esse feruente, & lucida, quaq; possint al-  
ios etiam proprio calefacere ardore, & lumine. cæteris autem  
cælestes hierarchias ad primæ huius formatas similitudinem  
ostendit: ut manifestè deprehendatur angelos primo purgari,  
deinde illuminari, postremò perfici, ac per triplicem ordinem tū  
ascendere, tum descendere. isti sanè tres gradus ad eò inter se con-  
nexi sunt, ut eorum ferè nullus absque alijs extare queat: amor  
rerum humanarum exutus, et qui nullo vel uolentissimo for-  
tunæ turbine perturbetur hoc ideo facere potest, quia dum con-  
templatione fruitur diuina, cætera omnia contemnit, ac pro nihi-  
lo ducit: iam, qui per se ens, hoc est Deum ipsum uerè contem-  
platur, quæ ratione idem, cum summum, ac per se bonum sit, non  
amare poterit? certè aut peruersè cognosceret, aut si cognosceret  
mox quoque ipsi coniungi exoptabit: boni enim, nedum summi  
boni hanc esse naturam supra declaratum fuit, ut cuncta ad sui  
appetitionem excitet, ac alliciat. quanquam tamen hoc uerissi-  
mum sit, nihilominus purgatio à terrenis istis affectibus tum cog-  
nitionem, tum copulationem & naturam, & tempore antecedit,  
id scilicet sibi uolebat Zamolxidis medicina prius animā incā-  
tationibus quibusdam curari iubentis, quàm capiti, hoc est melio-  
ri anime parti remediū, quo optimè ualeret, adhiberetur; etenim  
si Deo similes fieri uolumus (ut ait quoque Plato) hinc protin-  
us fugiendum, & mala sunt deuitanda, nec cælo nasci possu-  
mus, nisi mundo moriamur: hæc nempè est illa mors, cuius medi-

tationem

6  
tationem antiqui philosophi philosophiam esse asseruerunt: hæc  
illa mors, de qua scribitur in sacris libris, gratissima est in con-  
spectu altissimi mors sanctorum eius. non hanc tamen mortem  
ita recipimus, ut Pelagij subscribamus errori; quin immo potius  
una cum D. Hieronymo contrarium pronunciamus, sed ueluti  
sagittarij (quemadmodum ait Aristoteles) scopum ponimus,  
ut magis bonum, et honestum assequi possimus: talem enim lon-  
gè à corporeis sordibus mentis euocationem innuere etiam anti-  
qui poeta, ut cætera penè omnia philosophiæ mysteria, dum he-  
roas ad elysios campos tendentes per fluuios ac paludes iter far-  
cere, tum in limine corpus quoque aqua abluere scribunt; unde  
& Danthes poeta noster Hetruscus per purgatorium locum  
nos ad Deum cognoscendum, atque amandum perduxit. quæ cog-  
nitio amore quidem prior natura est, non tamen tempore: cum  
aliquod enim uidemus ens, idemq; bonum animaduertimus, illi-  
co quoque ipsum expetimus: antecedit autem scientia, consequi-  
tur amor, quia bonitas, ut vulgo fertur, est in centro: quæ pro-  
pter ideas rerum ponentes illud uerissimè enunciant, primam re-  
rum originem esse per se bonum, secundam per se ens; nam sacri  
theologi nostri his etiam assentiuntur nomen iustitiæ, (illius in-  
quam quæ omnes complectitur uirtutes, ac circa bonum in com-  
muni versatur) patri; sapientiæ uerò & ueritatis, quæ idem re-  
sunt, differunt ratione, filio attribuentes. Veritas de terra orta  
est, & iustitia de celo prospexit inquit Dauid: sapientia itaque  
media ad amorem & coniugium diuinum peruenimus: quod ad  
huc testatur qui suprema est sapientia, dicens, nemo uenit ad pa-  
trē nisi per me. ex quibus oibus clarū fit neminē amare Deum pos-  
se, nisi prius ipsum cognoscat; cum omnis amor boni sequatur no-  
tionem: simili ratione quoque & diuinitatem necessario ardere  
eum, qui ipsam contemplatur; quoniam bonum (ut antea dixi-  
mus) electionem mouet & uoluntatem, Deus autem bonum, et  
per se bonum, immo supra omne bonum (quemadmodum ait D.  
Dionysius) per se ipse est. Non credendum tamen talem Dei sciē-  
tiam, qualis antiquis philosophis apparuit, pietatem et iustitiam  
habere coniunctas: audiemus enim uas electionis Paulum ex-  
clamantem,

B 2 clamantem,

clamantem, illos cum Deum cognouissent, non ut Deum gloria  
fuisse prosequutos: sed Dei cognitio ex eiusdem gratia, sacrisq;  
eloquijs in nostras mentes pro parte sua optimè affectas infundi  
debet: ex qua postea cognitione ille orietur amor, illaq; cū sum  
mo bono coniunctio, quam pietatem, & timorem, non seruile qui  
dem illum, at ingenuum, ipsius amoris semper pedissequum, ve  
ros philosophos, hoc est theologos nostros appellare diximus. in  
his duobus, cognitione scilicet diuina, & amore, quorum altera  
intellectum, & sapientiam, alter verò prudentiam respicit, &  
voluntatem, consistere summum hominis bonum, summamq; bea  
titudinem testificatus est quoque Salomon, nos admonens, vt sa  
pientiam inuocemus & cor nostrum inclinemus ad prudentiam;  
hac enim ratione timorem domini intelligi, & scientiam Dei in  
ueniri. quicunq; ergo diuinam cōtemplabitur essentiam, simulq;  
eandem amabit, non modo dæmon, vt ait Plotinus, sed Deus quo  
que ex eorum numero, qui primum sequuntur, euadet; ut optimo  
iure prisca illi tam theologi, quam poetæ (cuius rei meminit etiã  
Aristoteles in postnaturalibus) ambrosiam, & nectar, siue id  
cibus sit, siue potio, degustantes homines mortalitatem exuere,  
diuinamq; indui naturam tradiderint; per ambrosiam ipsius  
Dei cōtemplationem intelligentes, per nectar autem gaudium  
perfectissimum ex illa emanans, quod idem esse cum copulatio  
ne diuina, atq; amore iam demonstrauimus. Eandem de foelici  
tate opinionem confirmat quoq; Zoroastrius sententiã, qui, Chal  
dæis id referentibus, animam a principio alatã esse dicebat, gra  
uatamq; prauitate fractis pennis præcipitẽ in terrã ferri; iisdẽ  
verò recuperatis denuo ad superos euolare: alas aut istas iterum  
pennas emittere asseribat, si ipsas homo irrigaret aquis vitæ, ex  
quatuor fluminibus, quibus paradus Dei abluitur, haustis:  
quæ quatuor flumina Plato quatuor interpretatur furores; Am  
brosius, Gregorius, & Augustinus quatuor præcipuas virtu  
tes; prudentiam, temperantiam, fortitudinem, iustitiam: gemi  
nas porrò alis geminum significare instinctum menti ingentum  
omnes affirmant, ad superiora animam eleuantem; in intelligen  
tia quidem instinctum ad diuinum verum in voluntate instin  
ctum

7  
Etum ad diuinum bonum pro viribus conuertentẽ. ecce hic quoq;  
tres illi gradus, purgatoria virtute per fluuios indicata, contem  
platione verò, & amore per geminas alas: ideo post longas cir  
cuitiones, flexuososq; anfractus eò tandem necessario deuenien  
dum est, vt gradibus istis summam constitui beatitudinem nos  
stram, quam à Peripateticis cōtemplatiuam appellari diximus,  
concedere cogamur; per virtutem quidem purgatoriã, tanquã  
per stadium, ad cognitionis, atq; amoris diuini metã patere iter;  
ibi verò maximum gaudium, maximam hominis, hominis in quã  
interioris, perfectionem adesse. hæc est meta, ad quam cogitatio  
nes, omniaq; opera nostra dirigere debemus: hic ultimus omnium  
vigiliarum, ac laborum finis: hæc pacatissima quies animi, atq;  
tranquillitas: huc deniq; per tela, per ignes ruendum: vt omnes  
intelligentiæ virtutes per Dei cognitionem, omnesq; morum per  
eiusdem desiderium, altiori modo, quã aut moralis, aut specta  
tiua antiquorum doceat philosophia, consequamur. hunc attinge  
tes scopum, nostramq; illam dignitatẽ, amplitudinemq; adepri,  
toties à philosophis, et poetis decantatam, vnã cum Dauide, ma  
gno omnium patri canere poterimus: Minuisti nos paulò minus  
ab Angelis: gloria, et honore coronasti nos. Quanquam autem  
hæc foelicitissima foelicitas, beatissimaq; sit beatitudo, haud tamẽ  
ob id altera illa, quam ciuilem vocari ex officio diximus, aut cō  
temnenda est, aut omnino repudianda: siquidem antequam ad  
purgatoriã deueniamus virtutem, vt per eam postea ad opti  
mam perfectionem nostrã progrediamur, prius in hac ciuili fo  
elicitate, constituentibusq; eam virtutibus, tanquam in vmbra  
ti pugna, nos ipsos exercere oportet, cum ciuiles istæ quasi origi  
nes, ac primordia sint exemplarium, nec omnino etiam spernendi  
videantur, qui ciuiles nati ciuilitate viuere norunt: quinimmo po  
tius omni laude, atque honore eos prosequi debeamus: etenim nõ  
modo ciuibus suis iustitia, liberalitate, cæterisq; virtutibus vti  
les omnia regunt, atq; gubernant, sed iisdem quoq; ad contempla  
tiuam tendentibus beatitudinem omnes comparant commodita  
tes: facultatemq; adipiscendi propositum bonum ipsis præstant:  
vt meritò ac iure primas in vrbe partes ciuili philosopho concess  
serint

serit Plato atq; Aristoteles omnium philosophorum, facile principes. Cum igitur hæc, atq; alia plura, quæ ob breuitatem temporis missa facio, considerarem patres amplissimi; aliquisq; mihi omnino mouendus esset lapis: statui tandem hoc anno facultatem illam, quæ utraq; homini felicitates præscribit, et quodam modo adumbrat, figurat, atq; ante oculos statuit, nostris proponere adolescentibus: ut per hanc semitam in celsum philosophiæ verticem euadentes; ibi tandem mollia ferta, ac uario depictas flore corollas sibi, & suis parare possent, hoc meum fuit propositum: & quia aut solum, aut maximè Aristotelis scripta iuentuti enarranda esse censent docti nostræ ætatis ferè omnes, hinc perfectè absoluti in hac materia indicantur, Aristotelis libros de moribus ad Nicomachum interpretandos suscepi: ex quibus, cum decem sint, quintum elegi, ubi de iustitia differit philosophus; quoniam aptissimus uisus est ad totum ciuile negotium declarandum; cum iustitia omnes virtutes morales amplectatur, procreet, & conseruet; uniuersalis comprehendat, gignantur, foueanturq; a particulari. si enim primum exposuissem, uidebam fore, ut antè annus elaberetur, quam ea, quæ aliquo modo ad scopum facerent, aggredi possem: a decimo autem ideo abstinendum duxi; tum quia altioris negotij illa est pertractatio; tum etiam quia in hac ciuili palæstra exercendi sunt adolescentes, priusquam ad purgatorium certamen, & per id ad beatitudinis uictoriam descendant: uolui item tractationem de iustitia interpretari, ut iuris scientiæ studiosis aliquid quoq; commodi noster labor afferre posset: hinc enim, ut fortè in nostris prælectionibus demonstrabimus, desumpta sunt omnia eius artis fundamenta: uidebam præterea iucundum admodum, atq; utile futurum esse hunc tractatum ob tenebrosas illas quæstiones ex varijs vulgi sententijs in materia singularis certaminis emergentes (duellum appellant uetusto quidem nomine, at significatione eius immutata) quæ ora, atque animos omnium occupantes, facillimè ex ijs, quæ in hac parte a philosopho docemur (ut manifestè patebit) dissoluuntur. In interpretationibus autem nostris

8  
nostris ingenui adolescentes (uobiscum namque mihi nunc sermo est) talem perpetuo seruabimus ordinem: primo Aristotelis sententias, & uerba ex eodem Aristotele, aut si id præstari aliquando nequeat ex doctissimis eius interpretibus, vel authoribus alijs grauissimis tamen, atque luculentissimis enodabimus: secundo, veterum Peripateticorum more, aliorum etiam philosophantium opiniones referemus, ad inuicem comparabimus, & quæ magis ad ueritatem accedant, quæ uel minus, pro uirili parte dyudicabimus: tertio quia dupliciter unà quæque res considerari potest, uel per se, uel ut alteri similis, postquam, Aristotelis, aliorumque sententias explicantes ueritatem simpliciter inuenerimus, tunc ea enarrabimus, quæ à nonnullis mysticè hoc est sub alterius rei nomine, & ut ita dicam allegoricè, de illa ipsa re prodita fuerint, quatenus ad propositum absoluendum, atque declarandum conferre arbitraberimur: hocq; idcirco agemus, quoniam philosophos omnes Aristotele, ac eius sectatoribus exceptis, res, quas scriptis mandauerunt, ænigmatibus quasi uelis, & inuolucris quibusdam tectas uulgo occultasse conspiciamus: cuius rei causa magis nota est ex clarissimorum uirorum monumentis; quam ut nunc afferri debeat. hic plura, ex Mercurio Trismegisto, Orpheo, præscisque cæteris tum poetis, tum theologis; ex Pythagoræ arithmetica, Platonisque geometria, uenerandæ antiquitatis arcana, nonnullorum hæc temporibus philosophantium cæcis mentibus incognita, atque ideò penè oblitterata, è tenebris Deo fauente, eruemus. Ne autem ista fieri minimè posse, nisi longo tempore, credatis optimi adolescentes, illud uobis prædico; ut non hæc temere, & ubique à me inculcanda esse cogitatis: sed cum tempus dabitur & occasio, postquam res simpliciter declarata fuerit, eorum quamplurima paucissimis uerbis exponenda expectetis: quin plura etiam, breuiori, quam fortasse plerique alij faciant, tempore, me interpretaturum esse ex proposito libro nunc polliceor: illas enim dubitationum ambages, quibus temporibus nostris scatent scholæ philosophantium, nisi quæ penitus necessariæ uidebuntur, omittam: tales namque



que plurimum difficultates; priusquam rei veritas explicetur, caliginem humanis mentibus obducetes eas obtundunt potius quam acuant: ubi vero res fuerit veritate illuminata, ex se sua sponte dissoluuntur: non omnes tamen renuo dubitationes, ut qui optime meminerim tam in libris ad Nicomachum, quam in metaphysicis, & alibi quoque sepe fuisse ab Aristotele probatas: tantummodo rabularum horreo nugas: ideo quas ex re, & ad rem esse opinabimur, eas haud intactas relinquemus, sed pro ingenij nostri tenuitate examinabimus. in Aristotelis tamen verbis, tum sententijs interpretandis morem seruabo communem: primum quod nam sit ipsius institutum, consiliumque, & ad quem finem precipue tendat secundum Apbrodisiensis Alexandri preceptum declarans: deinceps per quae, & quomodo ad eundem deueniat, ac tractationis singulas partes simul indicans: tum verba exponens, & quae ex ipsis ponderanda erunt, quaeque inde excerpta breuiter ostendens: tandem rem omnem exquisitè: ac, ut dicitur, ad unguem pro viribus examinans dabo operam ut studium meum, aut diligentiam non omnino despiciatis. quod si aliqui obrectatores, vel ut politissimus Politianus appellat, Lamiae, domi semper caeci, foris oculatissimi, in eo qui tales obeat partes, aut etate meam adhuc acerbam, aut ornatum hunc ferè militarem, accusabunt, illis Salomonem, & Plutarchum, alterum de annis, de habitu alterum pro me respondisse velim.

Dixi

Impressorum errata.

Pag. 2. li. 1. 6. nec ingenio ualens corrige satis ualens. 18. morbo defatigatus de questione. lege. defatigatus fere ex tempore de questione. pag. 4. li. 31. conuersione non modo lege conuersione boni cuiusdam consequendi gratia non modo pag. 7. li. 32. purgatoria lege purgatoriam.